

PSALMI LXXXIV. DISPOSITIO.

Ecclesia. Dilecta Dei tabernacula.

St hinc I. Commendatio tabernaculorum A Dei jucundorum: v. 2. ubi (1) Davidis anima appetens: appetitu deficiens: cor & caro DEum vivum canens: v. 3. instar avis de hocce nido gaudens: v. 4. (2) Visitantes vel inquilini Sanctuarii; utpote DEum celebrantes, v. 5. robur suum in ipso ponentes: v. 6. de itinere ad sanctuarium semper meditantes, ibid. molestias itineris mire superantes, imo pro deliciis habentes: v. 7. donec compareant coram DEo in Zione: v. 8.

II. Precatio: (1) audi: v. 9. (2) intuerè, tanquam clypeus noster; respice vultum Uncti tui: v. 10. (ut hic nimirum compos fiat sacri sui desiderii.) Ratio: (a) unus dies in atriis tuis prestat mille aliis: v. 11. (b) praefero ministerium liminis sacri habitationi in adibus impiorum, ibid. (c) DEus est sol & clypeus: v. 12. (d) dat gratiam & honorem: ibid. (e) non denegat bonum ullum integrè viventibus: ibid.

III. Conclusio, beatum prædicans in DEo confidentem: v. 13.

PSALMUS LXXXIV.

Judæi quotidie circa vesperam in synagoga convenientes integrum hunc recitant ante omnia Psalmum, sperantes inde partem in seculo futuro majorem &c. Buxtorf. syn. cap. 8. p. 203.

EXPLICATIO VERSUS I.

הגתיר ) est hæc eadem inscriptio cum Psalm. VIII. & LXXXI. præter quos etiam locos non occurrit alibi. vide Psalm VIII, 1.

לכני קרח: ) vide Psalm. XLII, 1. Quadringentis annis ante Davidem in deserto à Korachitis compositum censet Genebr. ad vers. 10. Non pertinere hunc Psalmum ad exilium Davidis ob Saulem, ut vult Kimch. vel ob Absalomum, juxta Amam. Antib. p. 814. & Piscat. nec ad exilium Israël in Babel, iterum ex conjecturâ Kimchi, sed esse מאנאגיסמא cultorum Dei, probat prolixè Höpfer.

EXPLICATIO VERSUS II.

quom: ] ita pronomen hoc, interrogativum alias rei, quid, pro adverbio intendendi accipitur etiam alibi ut Psalm. III, 2. מה רבי Psalm. VIII, 2. quam gloriosum est nomen tuum. Psalm. XXXVI, 8. quam pretiosa est misericordia tua: Psalm. XXXI, 20. quam magna est bonitas tua &c. Ipsa autem hæc exclamatio arguit ingentem Psalter, diu quasi meditabundi & velut extra se rapti, admirationem, ubi præ deliciarum spiritualium ubertate diutius reprimere nequit cœlitus exstantem linguam suam, sed in hanc erumpit exclamationem, templi Dominici saluberrimam suavitatem sumoperè extollentem admirantemque. Versu hinc moriens Paula usa est, teste Hieron. epist. ad Eustoch. itemque Hieronymus ipse; Severan. exempl. mer. p. 264.

dilecta vel amabilia: ] videlicet non tam externis sensibus, visus, auditus, olfactus, &c. ubi majores facile delicias præbebunt regum palatia aut horti, quam internis animæ regnitæ meditationibus, ubi dignè expenditur promissionum divinarum in templo exponi consvetarum pondus, item signorum gratiæ, qualia erant sacrificia, purificationes, &c. typicus valor, & quæ ejus generis erant alia plura divinæ bonitatis documenta. De voce דר dilectus, vide Psalm. XLV, 1. שיר ידיר canticum deliciarum vel suavitatum.

tabernacula tua: ) h. e. locus ille cultus sacri publicus, in quo, tanquam domicilio aut æde propriâ, DEus olim peculiariter se habitaturum ac responsa rogantibus daturum promiserat: quippe radix nominis שכן est שכן habitavit vide Psalm. XLIII, 3. adducant me ad montem tuum sanctum, & ad tabernacula tua. De hujus ipsius templi portatilis constructione atque usu lege Exod. XXV. seq. Psalm. XXVI, 6. LXXXIV, 7. CXXXII 7. Meminit autem Psalter tabernaculi non unius, sed plurium, habitò forsàs respectu ad plures tabernaculi Mosaiici partes, velut erant sanctum sanctorum, atria sacerdotum & populi, quorum istud figuravit, ex quorundam mente, ecclesiam triumphantem, atrium verò sacerdotum ecclesiam invisibilem verè sanctorum, & atrium populi, in quo promiscuè & judæi & profelyti, ecclesiam visibilem, in quâ mali bonis mixti, &c. Sic מקדשיך Psalm. LXVIII, 36. Patres quidam acceperunt de tabernaculis cœlestibus: sed minus commodè ob vers 7.

Jehova (Deus) exercituum: ) est hinc ellipsis nominis constructi אלרי suppleudi aliunde v. g. ex Psalm. LXXXIX, 9. 2. Sam. V, 10. 1. Reg. XIX, 14. 10. &c. Nomen enim proprium Jehovæ in regum collocari nequit: Zebaoth vero est appellativum plurale, denotans Exercitus, h. e. ordinatissimam illam creaturarum omnium cohortem, &c. Similes vero ellipticas constructiones vidimus Psalm. XXIV, 10. XLVI, 8. 12. XLVIII, 9. LXIX, 7.

EXPLICATIO VERSUS III.

desiderio afficitur: ] ita ut indefinenter cogitem de illis, ut nullibi tranquillare possim mentem, nisi compos fiam votorum; ferè sicut Jacob appetebat lares patrios, de quò idem hoc verbum passivum, activè tamen significans, reperitur Genes. XXXI, 39. In Kal verò vidimus id ipsum Psalm. XVII, 12. sicut leo יבסתי appetit prædam.

כלתה (quin etiam) consumpta est anima mea: ) h. e. tantoperè ardeo sacrâ templi tui cupidine, ut deliquium ferè patiar animi præ affectuum vehementiâ viriumque subinde decrecentium defectu, vide Psalm. LXXIII, 26. כלה deficit caro mea & cor meum. Luth. sehnet sich! prius: ist alt wort den. Campenl. ut vix esset apud se anima mea.

פפפ

להפרוה